

pro actu mercedis interno. Si tamen praescribitur Oratio Dominica, vel saluatio Angelica, debet esse vocalis Oratio: quia communis usus Ecclesiae habet, ut quando quis jubetur dicere, aut recitare orationem Dominicam, aut salutationem Angelicam, utatur voce, sicuti patet ex praeccepto de Horis Canonicis. Quando praescribitur Oratio indeterminata, sufficit communiter dicere 6. Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri, & unum Credo, etiam si in Bulla Jubilaei dicatur: ibique per aliquod temporis spatium de voce oraverint. Communis apud Gobat cit. c. 21.

175 II. Oratio fundenda est ad intentionem, quam Bulla Jubilaei praescribit. Patet ex Bulla Jubilari, & vide dicta supra sect. 1. hujus capituli n. 31. Ex quo sequitur, quod Oratio pro lucrando Jubilaeo requisita, nequeat inservire pro impletionem voti, aut Penitentiae Sacramentalis, cum hac aliam intentionem requirant: eadem autem Oratio non valeat tantum sola pro duabus intentionibus, quam pro una sola. Item Oratio fundenda est cum attentione externa, (quod certum est, cum sine hac non consistat vera Oratio) ac etiam cum interna, ut docet Gobat cit. Quia Oratio cum voluntariis distractionibus interioribus non impetrat a Deo concordiam, verb. gr. Principum Christianorum, &c. ad quam tamen impetranda praescribitur a Summo Pontifice, & sic non satisficit ejusdem intentioni. Denique Oratio debet fieri in Ecclesia, quam visitare debes: quare

176 III. Visitatio Ecclesiae debet esse Religiosa, & Devota, quod dicitur si in Ecclesia visitata exerceatur actus Religionis, v. gr. genuflexio, Oratio, &c. II. Debet esse totuplex, quod dicitur si in Ecclesia visitata exerceatur actus Ecclesiarum, quae sunt determinatae: neque enim licet alias pro praecipuis visitare, Gobat cit. c. 20. vide dicta sect. 1. hujus capituli, num. 13.

177 IV. Quando etiam praescribitur Processio, debet quis I. devotè, & modè comitari Processionem. II. Nihil tamen interesse, si praecedas, si sequaris, Crucem, & Clerum, modò moraliter loquendo facias unum Corpus cum processione. III. Satisficit etiam, si in prima, si in secunda platea, te modò associes processioni, vel ab ea paulò ante finem recedas. Communis apud Layman, Gobat, La Croix

178 V. Jejunium, Eleemosyna.

178 I. Jejunia praescribi solita pro Jubilaeo sufficiunt, etsi observata in occurrentibus diebus, in quibus aliquis jam est obligatus ad jejunium ex Lege Ecclesiae, aut voto, vel regula, ut est certum ex praxi Ecclesiae. Sufficit autem jejunium juxta consuetum Ecclesiae morem servari solitum. Si quis in prima Jubilaei hebdomada semel, & in secunda bis jejunaret, non potiretur Jubilaeo juxta Gobat, de Jubilaeo c. 28. n. 212. Quia Bulla Jubilaei insinuat, jejunia debere servari in una, eademque hebdomada. Similiter si quis jejunaret die Lunae, Martis, & Jovis, etsi in una hebdomada, non acquireret Jubilaeum, juxta Navarrum, Reginaldum, Rodriguez, Gobat cit. n. 213. Quia non jejunaret praescriptis à Papa diebus, scilicet feria quarta, sexta, & Sabbato. Porro in Jubilaeo omnes, etiam pueri, & puellae, si velint illud lucrari, jejunare debent: nec ideo praescribit eis commutari jejunium in alia opera: quia nondum impleverunt annum aetatis vigesimum primum; nam difficultas, quam sentiunt in jejunando, non est communiter gravis, & existimat Rodriguez in summa cap. 184. num. 10. non posse iis commutari jejunium, nisi ex eo timeatur notabile detrimentum. Aliis tamen infirmis, & iis, qui ex necessitate graviter laborant, potest Confessarius jejunium in alia pietatis opera commutare. Navarrus, Rodriguez apud Gobat cit. n. 211.

179 II. Eleemosyna pro Jubilaeo requisita debet esse corporalis. Gobat cit. c. 29. n. 218. siquidem usus fidelium Bullas Jubilaeorum de Eleemosyna loquentes interpretatur de Eleemosyna corporali: sufficit tamen, si quis unum ex septem misericordiae corporalis operibus erga indigentem gratis exerceat, quia singula ex septem operibus misericordiae corporalis sunt propriae dictae Eleemosynae, teste D. Thoma, 2. 2. q. 32. ar. 3. Potest vero Eleemosyna dari ante vel post communionem, etsi haec sumatur die Dominico, nec debet esse necessario, proportionata facultatibus erogantis, nisi hoc in Bulla Jubilari exprimat: sed fideles erogare possunt, quantum pro suo quisque arbitrio indicaverit.

180 III. Porro etiam Religiosi habentes bona communia tenentur dare Eleemosynam: hinc Praelati Regularium, qui tempore Jubilaei solent, & debent largiri Eleemosynas pro suis Religiosis, hos de hac sua voluntate mature praemoneant. Idem dicendum de parentibus respectu prolium, marito respectu uxoris, Dominis respectu servorum. Docet

tamen Cardinalis de Lugo tom. 3. in 3. p. disp. 17. Contra Suarez, si Praelatus Regularis ex bonis communibus erogat Eleemosynam pro omnibus subditis, ipsis id ignorantibus, fore satis, dummodò ipsi saltem intra unam hebdomadam Jubilaei id legitime scientes ratum habeant. Putat quoque Lugo, quod etiam Fratres Minores teneantur dare Eleemosynam, eo quod licet non habeant bona communia, sed simplicissimum usum facti rerum omnium, tamen hunc usum in alias transferre possunt, à quibus dominium acquiritur. Alii vero putant, quod Eleemosyna in Fratribus Minoribus debeat commutari in aliud opus pium. Porro pauperes summe indigentes possunt sibi ipsis dare Eleemosynam, quamvis etiam Lugo velit, hos teneri dare Eleemosynam v. grat. minus oboli, vel procurare, ut ab aliis detur pro ipsis eleemosyna, vel debere petere commutationem. Denique satisficit Dominus, si det Eleemosynam per famulum (quamvis, qui vult lucrari Jubilaeum, aut indulgentiam, debeat per seipsum, & non per alium, alia praescripta opera adimplere) modò famulus verè erogat eleemosynam à suo Domino deputatam, si enim famulus eam non erogaret, Dominus non lucraretur Jubilaeum. Ita Lugo cit. & alii apud Dianam. Ratio est: quia dare Eleemosynam est transferre dominium illius in pauperem: atqui si famulus Eleemosynam à Domino deputatam non erogat in pauperem non transfert ejus dominium in pauperem: ergo Dominus non dedit Eleemosynam. Haec tamen ratio non evincit, (ait Gobat cit. cap. 30.) quominus practice probabilis, & tuta sit opinio S. V. Indulgentia, & Lezana, V. Jubilaeum, tenentium oppositum; eo quod quantum est ex parte Domini, iam dederit, tradideritque Eleemosynam.

181 IV. Nominè Pauperum, quibus tempore Jubilaei oportet dare Eleemosynam; intelliguntur tum veri pauperes: tum deinde pauperes secundum suum statum: tum insuper illi quoque, qui fingunt se pauperes, cum verè non sint. Quis enim credat, quod Papa velit, ut mendicos interrogemus, an sint verè pauperes, an verò mentiantur se esse tales? cum praesertim regulariter in his minutis Eleemosynis dandis adit animus transferendi dominium etiam in falsum mendicum, ut ex Lessio notat Lugo cit.

QUESTIO III.

De Confessione, et Communione ad lucrandum Jubilaeum.

SUMMARIUM.

- 183 Ad lucrandum Jubilaeum requiritur confessio,
184 Eaque valida, nec sufficit sacrilega.
185 & 186 Resolvuntur circa hoc aliqui casus.
187 Quid suadendum, et faciendum in praxi?
188 Quando confessio pro lucrando Jubilaeo sit peragenda?
189 Qualis communio requiratur ad lucrandum Jubilaeum?
190 An ad lucrandum Jubilaeum etiam pueri, et alii impediti communicare debeant?

ASSERTIO III.

AD lucrandum Jubilaeum requiritur confessio, et quidem valida, nec sufficit sacrilega. Idem de communione dicendum. Communissima DD.

S. I. Ad lucrandum Jubilaeum requiritur confessio.

PATet ex Bullis Jubilaeorum praescribentibus confessionem sacramentalem peccatorum pro obtinendo Jubilaeo. Si tamen quis non haberet conscientiam peccati mortalis, quod nondum sit confessus, non teneretur confiteri pro lucrando Jubilaeo, etiam in casu, quo Auctor Jubilaei expresse dixisset, se non impertiri Jubilaeum, nisi verè poenitentibus, & confessis. Ita Lugo, Comitulus, & alii apud, & cum Gobat de Jubilaeo cap. 23. n. 158. Ratio hujus communis sententiae est, quod usus Ecclesiae habeat, ut quando loquitur de confessione, intelligat confessionem peccatorum mortalium, ut constat ex cap. omnis utriusque sexus de poenitentia, et remissione, in quo utriusque non praecipitur, nisi confessio mortalium: cum non possit praecipui ab Ecclesia confessio omnium venialium, utpotè multis moraliter impossibilis. Si verò aliquis foret sibi conficius peccati mortalis, licet eliceret contritionem perfectam, & tamen non confiteretur, non consequeretur Jubilaeum. Ita Lezana V. Jubilaeum nu. 15. consentientibus Suarez, Filliucio, & aliis apud Gobat citatum numero centum, et quinquaginta duo.

Ratio est, quia in Bulla Jubilari Papa exigit, non tantum, ut confessionem, sed ut opus injunctum. Quando tamen quis non possit confiteri ob defectum Confessarii, vel bona fide existimavit, non requiri confessionem, probabile est, talem, si reliqua praestet, obtinere indulgentiam. Ita center Navarrus de Jubilaeo, Not. 18. & contentiunt Fernandez, Zanardus, Diana, Sanctarellus; quamvis opposita sententia sit probabilior, iudice Gobat, num. 153. quia magis congruit verbis Bullarum absolute confessionem exigentium.

S. II. Et quidem valida, nec sufficit sacrilega.

184 I. Ita Cardinalis de Lugo, Suarez, Filiucius, Sanctarellus, & alii apud Gobat num. 156. Ratio est, quia nec praeccepto Ecclesiastico de confessione annua satisficit per confessionem sacrilegam, siquidem contritum damnavit Alexander VII. propos. 24. Nec per ejusmodi confessionem obtinetur finis à Papa intentus, scilicet plena cum Deo reconciliatio. Si tamen poenitens sine sua culpa pro Jubilaeo faceret confessionem invalidam, tamen esset perfecte contritus, lucraretur Jubilaeum. Ratio est, quia Papa pro Jubilaeo requirit confessionem eo modo, quo est possibilis poenitentia: sed in hoc casu confessio valida non est ei possibilis cum sine sua culpa confessio sit invalida ergo talis poenitens adhuc lucraretur Jubilaeum. Idem obeamdem rationem dicendum de eo, qui constitutus in peccato mortali, hujus tamen inculpabiliter oblitus: ideo non confiteretur, & tamen esset de omnibus suis peccatis perfecte contritus. Ita Dominicus Viva de Jubil. q. 8. art. 3.

185 II. Qui prima hebdomada Jubilaei fecit confessionem praescriptam, etsi, antequam reliqua opera perficeret, labatur in peccatum mortale, non tamen necessarium est: ut iterum confiteatur pro lucrando Jubilaeo, sed sufficit, si per contritionem perfectam se reponat in statum gratiae. Gobat cit. nu. 157. Ratio est, quia Bulla Jubilaei, ut summum, exigit unam legitimam confessionem, & nullo verbo indicant plurimum necessitatem. Si tamen talis nondum communicasset pro lucrando Jubilaeo, utique teneretur illud peccatum mortale confiteri, nec sufficeret super eo elicere contritionem perfectam, si quidem ad sumendum Sanctissimam Eucharistiam praerogatur confessio sacramentalis peccati mortalis, etiam in perfecte contritis, uti patet ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 7.

186 III. Ille, qui in casu, quo exigitur in Jubilaeo actualis confessio, fecit quidem confessionem formaliter integram, non autem materialiter, quia scilicet fuit oblitus peccati mortalis, non tenetur (si jam communicavit) pro Jubilaeo lucrando iterum confiteri illud peccatum oblitum, etsi illius recorderetur intra tempus lucrandi Jubilaei, tum quia, ut diximus, Bulla Jubilaei non exigit nisi unam confessionem; tum quia qui in paschate oblitus est confiteri peccatum mortale, non tenetur vi praeccepti Ecclesiastici (si jam peregit Communionem Paschalem) amplius illo anno confiteri: licet interim maneat obligatio peccatum mortale oblitum confitendi, quando aliàs primò confitebitur iterum. Imò in casu praefato talis, qui fuit oblitus peccati mortalis in confessione pro Jubilaeo facta, non teneretur elicere contritionem, quia iam esset in statu gratiae per priorem confessionem & consequenter reliqua opera verb. grat. jejunia, Eleemosynas, & praesertim ultimum posset ritè perficere. Ita Gobat cit. nu. 157. Viva de Jubilaeo, q. 8. art. 3. & alii apud ipsam.

187 IV. In praxi suadendum est I. Ut confessio sit primum opus factum ad lucrandum Jubilaeum, ut sic cetera opera sequentia fiant in statu gratiae, sintque meritoria, & satisfactoria de condigno; reddantque certiores de lucrato Jubilaeo. Ut fiat confessio unius saltem peccati venialis, si quis non haberet peccatum mortale, quia in Jubilaeo etiam praescribuntur jejunia senibus excedentibus sexagesimum, & juvenibus nondum attingentibus vigesimum primum annum, quae tamen ab Ecclesia aliàs ipsis praeccepta non sunt ergo idem videtur dicendum de Confessione venialium. 3. Si post factam primam confessionem laboretur quis in peccati mortale, vel peccati mortalis in confessione oblitus recorderetur, iterum confiteatur, quia hoc necessarium esse, iudicant aliqui Doctores.

S. III. Quando Confessio sit peragenda pro lucrando Jubilaeo?

188 Confessio pro lucrando Jubilaeo potest peragi Sabbato ante Dominicam primam, in quo modo incipit Jubilaeum imò etiam feria sexta ante Dominicam primam ubi potest fieri confessio pro Jubilaeo idem dicendum de confessione pro alia indulgentia lucranda. Ita Layman lib. 5. r. 7. c. 8. de Jubilaeo, num. 6. dicens, de hoc nullum esse dubium: tum quia sic est praxis; tum quia confessio probabiliter non est

necessaria ei, qui non habet peccatum mortale, qualis foret, qui confiteretur feria sexta, vel Sabbato ante Dominicam primam Jubilaei. Item confessio, & communio potest differri, & fieri in feria Dominica, seu decimo quinto, hoc est; ultimo die Jubilaeo, quia sic est consuetudo Ecclesiarum, Layman citatus, Navarrus, Henriquez apud ipsum. Quando tamen in Bulla Jubilaei posita forent haec verba: Ante omnia confiteantur, putat Navarrus, confessionem necessariò esse praemittendam reliquis operibus, quamvis Henriquez non improbabiler existimet, hac ipsa phrasi solum indicari, quòd confessio tanquam res praecipua impeteretur, cui consentit S. V. Indulgentia num. 3. Ita loquens; Cum dicitur in Jubilaeo, ut quisque ante omnia confiteatur, sufficit confiteri intra tempus Jubilaei. Denique confessio pro Jubilaeo non necessario debet esse generalis, cum hoc non praescribatur in Bullis Jubilaeorum, sed sufficit ordinaria.

S. IV. Communio pro lucrando Jubilaeo requisita.

189 Est illa, quae in suscipiente sufficit ad causandam gratiam sanctificantem, qualis iuxta probabilem plurimorum Theologorum doctrinam est communio eius, qui oblitus peccati mortalis, quod commisit, ad illam accedit attritus, in quo casu communio pro accidens causat gratiam primam sanctificantem. Si verò communio scienter fiat in peccato mortali, non sufficit ad lucrandum Jubilaeum, quia per talem communionem sacrilegam etiam non satisficit praeccepto communionis annuae, ut patet ex propositione 55. damnata ab Innocentio XI. Ratio est, quia mens Ecclesiae, & Papae est, ut pro satisfactione praeccepti annuae communionis Paschalis, & lucrando Jubilaei non tantum communio quoad substantiam ponatur, sed etiam quoad talem modum, videlicet, ut sit operativa, & causativa gratiae, & remissionis peccatorum: eò quòd ad hos fines obtinendos instituat. Ita La Croix lib. 6. part. 2. num. 259. cum aliis. Hinc etiam Viva de Jubilaeo q. 8. art. 4. cum Pasqualigo probabiliter negat sufficere pro lucrando Jubilaeo communionem eius, qui invincibiliter oblitus peccati mortalis à se post ultimam confessionem commisit, bona fide, nulla praevia contritione, vel attritione sumit Eucharistiam: cum talis communio non sit digna Sacramento sumptio, nec animi reactiva, prout videtur exigi à Pontifice.

190 Quantum ad pueros, sicut & alios, qui communicare non possunt, debet communio in aliud pium opus commutari. Ita Diana, Faustus, Gobat de Jubil. cap. 26. num. 176. Quia aliàs non implerent omnes praescriptas condiciones. Unde Layman l. 5. r. 4. cap. 5. num. 3. post Henriquez monet, pueros tempore Jubilaei facilius admittendos esse ad sacram communionem, quam extra.

QUESTIO IV.

Qualiter opera pro lucrando Jubilaeo praescripta, obstant impedimento, in alia à Confessario commutari, vel prorogari possint?

SUMMARIUM.

- 192 Nullus potest propria auctoritate aliquod ex praescriptis pro lucrando Jubilaeo operibus prorogare, aut commutare, etiam in melius.
193 Sed Confessarius potest praescripta opera commutare, vel prorogare, subsistente impedimento.
194 Et quidem omnia.
195 Qualiter, & quando facienda sit praedicta commutatio, & prorogatio.

ASSERTIO IV.

Nullus propria auctoritate, potest ex praescriptis pro lucrando Jubilaeo operibus aliquod commutare in melius, sed Confessarius potest obstante impedimento, opera pro lucrando Jubilaeo praescripta prorogare, vel commutare in alia opera moraliter aequalia. Communis DD.

S. I. Nullus potest propria auctoritate aliquod commutare.

EX praescriptis pro lucrando Jubilaeo operibus prorogare, vel commutare in aliud etiam praesente impedimento. Gobat tract. 3. de Jubilaeo, cap. 15. numer. 79. Ratio est, quia nemo ad hoc faciendum dedit ipsi potestatem. Nec obstat, quòd possit quis suum votum mutare in opus

in opus melius, aut etiam æquale; nam id fieri potest; quia Deus admittit talem commutationem: Non enim propostum, aut promissum infringit, qui in melius mutat, ut dicitur capit. peruenit 2. de Jurjurando: At eam non admittit Pontifex, ut patet partim ex Bullis Jubilæorum, partim ex praxi.

§. II. Sed Confessarius potest prædicta opera commutare, & prorogare.

1895 Pater ex Bullis Jubilæorum: si tamen adfit impotentia physica, vel moralis, seu gravis, & notabilis difficultas exequendi opera prædicta: adeo, ut si Confessarius commutaret opera præscripta, non existente gravi difficultate eadem exequendi, commutatio foret invalida, & obesset acquisitioni jubilæi iuxta Gobat cit. cap. 14. numer. 100. & alios. Quia Bullæ jubilææ ad commutationem, vel prorogationem requirunt notabilem difficultatem in executione operam præscriptorum. Si tamen Confessarius bona fide ratus adesse sufficientem commutationis faciendæ rationem, commutat tunc, cum à parte rei non est sufficiens, videtur nihilominus valere commutatio, nec periclitari jubilæum. Gobat cit. cap. 15. numer. 103. Ratio est, quia non videtur aliter sedari posse conscientie Confessarium, & penitentium præsertim, quando his impertienda est absolutio à reſervatis, aut centuris. Si verò Confessarius sciens non adesse sufficientem impedimentum operis exequendi, faciat commutationem, non obtinetur Jubilæum, quia invalidè commutavit: adeoque non adimpleatur opera ad lucrandum jubilæum requisita.

§. III. Et quidem omnia

1894 Pæscripta opera, ne excepta quidem Confessione, & Communionem, Confessarius prorogare, & commutare potest in alia opera iis, qui impotentia morali, seu notabili difficultate prohibentur ab executione operum præscriptorum, nisi in Bulla jubilæi aliter exprimitur. Gobat cit. cap. 16. numer. 106. Insuper in casu, quo quis spontè & scienter opera præscripta non implevit, & adveniente ultima die jubilæi, adhuc optaret lucrari jubilæum, potest Confessarius opera præscripta commutare in alia opera pia: quamvis enim malitia fuerit prævia, jam tamen penitens est reverè impotens, estque impedimentum ex suppositione necessarium. Ita Fillucius tract. 8. numer. 268. Sanctatellus, Diana, & Alii apud Gobat cit. cap. 17. numer. 113. quamvis valde dubium censent hoc nosse Pater Herinx disp. 4. de penitent. quest. 13. numer. 101. ed quòd Bulla videatur loqui de iis, qui fuerunt legitime impediti. Addit tamen Herinx citatus, aliud esse de eo, qui jubilæo ferè transacto ex mera ignorantia, & bona fide omisisset opera præscripta; talis enim postest confiteri, & ultima die dominica communicare: cætera autem opera possent per Confessarium prorogari in sequentem septimanam. Similiter si quis opera impleverit excepta Communionem, & die dominica inadvertenter aliquid cibi, vel potus sumpisset, possent communio commutari in aliud opus pium, vel differri in diem proximum. Ita Herinx cit. Diana, Sanctatellus, Gobat cit. numer. 112. Denique quando penitens omnibus reliquis perfectis venit ultimo Sabbato ad confessionem, dubitat tamen rationabiliter Confessarius, an sit, si eum absolvat, permansurus in proxima peccandi occasione, potest differre absolutionem, & communionem per aliquot hebdomadas, ut eruat illum ab occasione peccandi, & postea illum absolvat ab omnibus peccatis, etiam reservatis, & censuris, quæ tempore jubilæi durantis, non verò post illud incurrerat. Quia Confessarius per dilationem absolutionis, non acquisivit majorem jurisdictionem, quam antea habuerat: sicut ergo tempore jubilæi non potuit absolvere à peccatis, & censuris post jubilæum incurrendis, ita neque ab incurſis post illud, virtute jubilæi absolvi poterit. Idem est de commutatione votorum. Ita Lugo, Sanctatellus, Gobat de Jubil. c. 17. & 34.

§. IV. Qualiter, & quando facienda sit commutatio, ac prorogatio?

1895 Commutatio operum pro lucrando jubilæo præscriptorum debet fieri in opera moraliter æqualia. Rodriguez, Navarrus, Layman, & Alii apud Gobat num. 109. Ratio est, quia aliàs non foret pura commutatio, sed partialis dispensatio. Item debet fieri prædicta commutatio, ac prorogatio intra tempus jubilæi: aliàs hæc potestas commutandi, & prorogandi expirabit, expirante tempore jubilæi. Fillucius tract. 8. numer. 270. Potest tamen commu-

ratio, & prorogatio operum fieri, vel ante, vel in, vel post confessionem, imò etiam extra confessionem à Confessario approbato ab Ordinario, etiam ab absente tali Confessario, cui proinde non cogitas confiteri, modò fiat intra tempus jubilæi. Ita Lugo, Sanchez, Henriquez, Gobat de iubil. cap. 17. num. 110.

SECTIO IV. & Ultima.

De Gratiis, & Favoribus concessis, lucrantibus iubilæum.

QUESTIO I.

Qualis Confessarius, & à quibus possit eligi in iubilæo?

SUMMARIUM.

- 197 Enumerantur gratiæ lucrantibus iubilæum concessæ.
198 Quibus secularis in iubilæo potest eligere Confessarium,
199 Etiam Regulares,
200 Si Bulla iubilæi habeat certas clausulas.
201 Qualis Confessarius eligi possit pro iubilæo?
202 Qualis debeat esse Confessarius à secularibus eligendus in iubilæo? & seqq.
206 Qualis Confessarius eligi possit à Regularibus in iubilæo?

ASSERTIO I.

IN iubilæo quilibet sibi potest eligere Confessarium, modò sit ab Ordinario loci approbatus, qui gratias, & favores iubilææ impertitur.

§. I. Quinam in iubilæo sibi possint eligere Confessarium?

I. Gratia, quæ à Summo Pontifice in iubilæis, subinde, licet non semper, concedi solent lucrantibus iubilæum, præter plenissimam indulgentiam sunt sequentes; I. Facultas eligendi Confessarium, II. cui confertur potestas absolvendi à casibus, & censuris reservatis, III. commutandi vota, & IV. componendi super male ablatis simpliciter incertis: De quibus in sequentibus.

II. Sæcularis quicumque potest pro jubilæo lucrando, sibi eligere Confessarium aliquem ad libitum, quia non solum in Bullis nominantur universi, & singuli utriusque sexus tam Laici, quam Ecclesiastici sæculares, sed etiam non est ulla ratio, quare hac gratia privati dicantur nonnulli ex sæcularibus.

III. Regulares, etiam Moniales, sine licentia suorum superiorum possunt sibi eligere idoneum Confessarium tam sæcularem, quam regularem alterius ordinis, & ab eò à casibus reservatis absolvi, virtute sibi facta in iubilæis, prout modo conceduntur. Ita docet nosse Pater Gaudentius Kerckhove in commentariis in statuta nostra Generalia cap. 6. §. 22. numer. 109. Quod etiam sus. probat Bordonus resol. 35. §. 4. numer. 45. Unde dum Clemens VIII. uti & Urbanus VIII. declararunt, non posse Regulares eligere Confessarium, vel ab eò absolvi à reservatis sine licentia suorum Superiorum virtute Bullæ cruciatæ, aut quorumcumque similitudinum, noluerunt comprehendere iubilæa, quæ sunt gratia amplissima, & habet communis opinio teste Bosso section. 4. de iubilæo, casu 4. numer. 15. & Pellizario tract. 8. cap. 2. numer. 5. & merito, quia iubilæum tantum datur pro uno actu, & est quid transiens, & extraordinarium, ex quo tantum damnum Religionibus oriri natum non est, imò sæpè cum fructu fieri solet ad subveniendum fortè alicui, qui ob nimiam verecundiam, aut pravam consuetudinem, oneratam conscientiam intra ordinem exonerare non audet. Bulla cruciatæ verò est quid permanens, & perpetua, nam singulis annis renovari solet, ex cuius proinde usu daretur proxima occasio dissolutionis, & relaxationis vitæ Religiosæ; & idèò declararunt Pontifices, mentem suam non esse, ut regulares ex indulto cruciatæ eligant Confessarium, vel à reſervatis absolvantur: Gregorius autem XIII. ut refert Coriolaus apud Tamburinum tom. 2. disp. 6. quest. 7. numer. 5. declaravit in Concistorio die 10. Decemb. 1581. Tempore iubilæi possunt omnes regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus etiam sæcularibus, approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones. Hucusque Kerckhove cit. Idem docet La Croix lib. 6. p. 2. numer. 1464. citatque Navarrum, Suarez, Fillucium.

IV. Dictum est supra: in iubilæis, prout modò conceduntur possunt regulares eligere Confessarium, & c. hoc est, in iubilæis, quorum Bullæ habent sequentes clausulas: Cupientes autem omnes Christi fideles participes fieri hujus

§. III. Confessarius eligendus in Jubilæo à secularibus,

I. SI sit Sacerdos sæcularis, debet esse approbatus ab Episcopo loci, in quo fit confessio. Ita Vasquez, Layman, Bonacina, Barboſa cum communiore apud Viva quest. 9. artic. 3. numer. 2. Ratio est: quia talis Confessarii Jurisdictio tum ex Ecclesiæ consuetudine, & tacito Episcoporum consensu, tum à Summo Pontifice, in Jubilæo extenditur ad Diocæsanos loci, in quo fit confessio, ac etiam ad extraneos; Nam talis Confessarius posita approbatione Episcopi habet à Summo Pontifice in omnes ad ipsius Diocæsim advenientes Jurisdictionem delegatam in jubilæo; præterquam quòd tempore Jubilæi approbatio Episcopi non requiritur ut dans Jurisdictionem, sed solum tamquam conditio requisita, ut à Papa Jurisdictio conferatur, & consequenter non est coarctata ad terminos ullos sive loci, sive personarum.

II. Sufficit etiam, si talis Confessarius sæcularis sit solum approbatus ab Episcopo penitentis, ita ut sic approbatus possit eligi in quocumque loco ab eodem. Ita communior cum Suarez disput. 28. sect. 6. Sanchez lib. 3. disp. 34. Ledesma, Reginaldo, Sylveiro, Molfesio, & aliis contra Rodriguez, Gutierrez, Layman lib. 5. tract. 7. cap. 11. apud Viva de Jubilæo, quest. 9. artic. 3. Ratio est: quia approbatus ab Ordinario Penitentis habet Jurisdictionem in illi in quocumque loco, quæ tamquam Voluntaria, etiam extra territorium exerceri potest: ergo. Et licet Clemens X. Bulla: Superna 2. Augusti 1670. decreverit, Regularem ab Episcopo approbatum ad audiendas secularium Confessiones in sua Diocesi, non posse in alia Diocesi audire Penitentes Subditos eidem Episcopo, circa approbationem Episcopi Diocesis, ubi est; Hoc Decretum tamen non tangit Confessarios sæculares, sed tantum regulares, ut patet ex ipso Decreto. Hinc apud La Croix lib. 6. part. 2. numer. 1516. dicunt Illung tr. 6. d. 6. numer. 177. & Alii multi, saltem Parochum hujus Diocesis non indigere alia approbatione ad alibi audiendâ Confessionem sui subditi; & idem videtur dicere Lugo d. 21. numer. 42. de quocumque sæculari Sacerdote approbato retinente domicilium in hac Diocesi, si cum subdito hujus Diocesis peregrinetur in alia Diocesi: Et idèò etiam Sanchez & Alii apud La Croix citat. docent, si Parochus alteri approbato non Parocho deleget Jurisdictionem in suos, hunc delegatum posse istos Parochianos audire etiâ extra Diocæsim, cujus est Parochus delegans; sicut enim hic Parochus possit audire suos in alia Diocesi, ita poterit habere delegatam ab illo potestatem, Denique subjungit La Croix num. 1517. Quod dictum est de Parocho sæculari, videtur dicendum etiam de Regulari habente verum Beneficium Parochiale; quia simili modo supponitur jam approbatus in hac Diocesi pro sua Parochia, cui affixus est.

III. Non verò sufficit approbatio facta ab Episcopo solum Confessarii. Ita Bonacina, Ugolinius, Molfesius, Barboſa apud Viva cit. artic. 4. numer. 4. Contra Suarez, & Alios. Ratio est: Quia universam approbationem, quæ fit ab Episcopo fit relatè ad suos subditos: ergo relatè ad penitentes non subditos Episcopo approbanti Confessarius se habet perinde, ac si non esset approbatus. Confirmatur: Quia ad solum pastorem spectat consulere suis ovis; ergo approbatio non debet fieri, nisi relatè ad oves proprias, aut quæ ratione loci sunt propria, & Episcopo subiectæ. Denique non sufficit (quod docet Henriquez lib. 3. cap. 10. Porre. Ledesma, & Alii apud Viva cit. num. 3.) approbatio facta à quocumque Episcopo, cujuscumque loci sit. Ita Viva cit. Lugo, La Croix lib. 6. p. 2. numer. 1516. & Alii. Ratio est. I. Quia aliàs sequeretur, quòd unus Episcopus possit approbare omnes Confessarios totius mundi pro omnibus fidelibus, quod nemo dicet. II. Quia unus Ordinarius non tenetur stare iudicio alterius Ordinarii quoad approbationem Confessarii pro suis ovis; ergo.

IV. Confessarius eligendus pro jubilæo à secularibus, si sit Sacerdos Regularis, debet esse approbatus ab Episcopo loci, in quo fit confessio; nec sufficit, si sit approbatus ab Episcopo penitentis, vel ab Ordinario proprio, vel ab Episcopo quocumque, siquidem ita clarè decernit Clemens X. Bulla: Superna cit. infra in Appendice alphabetica Bullarum Vers. Privilegorum Declaratio in terminis referenda, §. 4. his verbis: Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diocesi audiendas approbatos, non posse in alia Diocesi eos absque Episcopi Diocæsanæ approbatione audire, quamvis penitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.

prestantissimi Thesauri, universi, & singulis utriusque sexus tam Laici, quam Ecclesiastici, sæcularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & instituti, licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam sæcularem, quam cujusvis Ordinis Regularem ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationibus, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quomodocumque reservatis, &c. in foro conscientie, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, &c. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive institutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, & quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, & Congregationibus, atque Institutiis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, &c. Has clausulas in suis Jubilæorum Bullis habuere Summi Pontifices Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & Alii subsequentes usque ad Innocentium XII. teste Kerckhove cit. eadem clausulas etiam ipsemet legi in Bulla Jubilæi, quòd modernus Sanctissimus in Christo Pater Innocentius XIII. Anno 1721. post suam Papalem Coronationem, pro felici à DEO exorando regimine, orbi concessit universo.

§. II. Qualis Confessarius eligi possit pro Jubilæo?

CONFESSARIUS ut eligi possit pro Jubilæo, debet non esse degradatus, non depositus, non excommunicatus, non suspensus, nec irregularis quoad Jurisdictionem. Gobat de Jubilæo cap. 31. numer. 236. & seqq. Ratio est: quia censuræ, irregularitas, & pleræquæ reliquæ inhabilitates, quæ licitè aut valide administrationi Sacramenti Penitentis suapte natura obſunt, ex sacrorum Canonum Decretis tolli solent, ac debent per sententiam Judicis in foro interno, vel externo atque Pontificis, dum Bullas jubilæi promulgant, non exercent Officium Judicum, nec quemquam absolvent, aut suo gradui restituunt: ergo censuratis, & aliis hujusmodi, nil patrocinantur generalia illa verba. Confiteantur cuilibet approbato Confessario. Uterius Confessarius pro Jubilæo lucrando eligibilis debet esse approbatus; à quo autem debeat esse approbatus, dicemus in sequentibus §. Duo interea adnotare volui. I. Quòd in Jubilæo nequeat eligi pro Confessario complex eriminosi, si illi aliàs sit adempta potestas absolvendi complice, vel per approbationem restrictam, vel per Jurisdictionem restrictam, ut fit in aliquibus Diocæsbus. Ita Gobat cit. cap. 31. numer. 236. Bonacina, Aversa, Viva de Jubilæo quest. 11. arr. 3. num. 4. La Croix lib. 6. p. 2. 1468. Ratio est: quia talis Confessarius non est approbatus respectu talis penitentis, nec accepit Jurisdictionem in illum: ergo. II. Quòd aliquis est approbatus solum ad audiendas confessiones certi generis hominum, aut certi oppidi personarum, verior est sententia Fillucii, Dianæ, & aliorum apud Gobat cit. num. 233. contra Bossum, & alios apud Dianam, talem nec licitè, nec validè posse eligi in Confessarium ab aliis, pro quibus non est approbatus; eò quòd sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid, ad secundum quid; sicut ergo nullam peccato mortali in se factum validè absolvit Sacerdos nullo modo approbatus: ita etiam secundum quid approbatus invalidè absolvet illos, respectu quorum non fuit approbatus. Et hæc Doctrina tunc maxime est probabilior, quando ob Doctrinæ defectum non indifferenter fuit approbatus; nam tempore Jubilæi solet proponi casus intricatissimi de restrictione, matrimonio, simonia, veneficiis &c. Quare etiam Faustus, Pellizarius, Molfesius, alique apud Viva de Jubilæo quest. 9. arr. 2. docent, Moniales in Jubilæo debere eligere Confessarium approbatum pro Monialibus; Bonacina verò disput. 7. de Sacramentis, Bossum sect. 7. punt. 4. Peyrini tract. 5. cap. 4. Pasqualigus, quest. 210. & alii apud Viva citat. putant, posse Moniales in Jubilæo quemcumque Confessarium approbatum eligere. Ratio horum Doctorum est, quia Bulla permittit omnibus utriusque sexus fidelibus, etiam regularibus, quòd possint eligere Confessarium approbatum ab Ordinario locorum absolventem: ergo non est ratio, cur requiratur approbatio specialis relatè ad Moniales. Addunt, quòd Urbanus VIII. in Bulla: Pontificia sollicitudo §. 5. tom. 4. Bullarum constit. XVI. expressè concesserit Monialibus, quòd possint in Jubilæo eligere quemcumque ex approbatis ab Ordinario; Quòd etiam præstitit Innocentius X. in Jubilæo 1650. ut refert Pasqualigus: Unde colligunt eam esse universam Pontificum mentem in concessione Jubilæorum.